





1796, 1  
13  
FACULTATIS IVRIDICAE  
DECANVS  
FRANC. MAVRITIUS BACHMANN  
JCTVS

EMINENTISS. AC CELSISS. PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CON-  
SILARIUS REGIMINIS ACTVALIS, MEMORATAE FACULTATIS ADSES-  
SOR, ET IVRIS PUBLICI TVM ECCLESIASTICI TVM  
POLITICI PROFESSOR PUBL. ORDIN.

## SOLEMNIA IN AVGVRALIA

NOBILISSIMI AC CLARISSIMI IVRIVM  
CANDIDATI

D. IOAN. HENRICI GODOFREDI KAVPISCH  
QVERFVRTENSIS  
DIE XIII. IVLII MDCCXCVI.  
LOCO CONSVENTO  
PERAGENDA INDICIT.

---

PRAEMISSA DISQVISITIONE:

NVM IVS PRIMIS PRECIBVS CAESAREIS QVAESITVM SIT  
PRECISTAE AD PRIMVM BENEFICIVM VACANS PRAE CANONICIS  
DOMICELLARIBVS ORDINE PRIORIBVS IN ECCLESIA,  
CVIVS CAPITVLUM EST CLAVSV?

---

ERFORDIAE,  
TYP. IO. CHRIST. GOERLING, ACAD. TYPOGR.

HISTORIÆ LXXV. ANTIQVÆ

ALIAS

ANTIQUITATIBVS HISTORICIS

§. I.

In censu iurium, quae Caesari reseruata dicuntur, locum  
hand insimum vi antiquissimae obseruantiae<sup>a)</sup> tenere ius  
primariarum precum<sup>b)</sup>, vi cuius et Caesar, et qui viuo eo  
in successorem electus est, Romanorum Rex facultate gaudet  
in Ecclesiis intra fines imperii germanici sitis, s. metropoli-  
tanis, s. cathedralibus, s. collegiatis, tum Catholicis, tum  
Aug. Confess. addictis, et in his quidem posterioribus ad

A 2

nor-

a) Ius primariarum precum imperiale ab antiquissimis iam tempo-  
ribus vsu obtinere, omnes ac singuli scriptores unanimi consensu  
affirmant. *Vid. Ioh. GODOFRED. MÜLLER in Diss. bistor.  
polit. de iure primariarum precum, eiusque exercitio Spec. I. P. I.  
C. I. §. 1. Lips. 1789.* imo sunt, qui ius dandi primas preces sola  
consuetudine inueterata niti contendunt, cum aliud iuris huius  
fundamentum nequidem augustissimi concedentes in diplomaticis  
bus precum allegassent. *vid. PHILIP. HEDDERICH in Elem.  
iuris Canonici P. 3. Tit. 4. §. 33. Bonnae 1791.* *idem in Diss. de  
vero ac genuino statu bodoero primariarum precum. Bonnae 1778.*  
*BOESE spec. academ. de eodem iure, ibidem 1778.*

b) Ingens sane est scriptorum copia, quibus per nouissimos potis-  
simum centum annos ius illud plures sunt commentati, quorum  
que largum indicem conscriptum videre est in Bibliotheca Lipe-  
nicio-ienicheniana sub voce: *preces primariae.* Praecipuus quoque  
ex illis cum loco et anno editionis recenset praefatus *Ioh. GOD.  
MÜLLER in ingressu Diss. supra cit.*

normiam in Pace Westphalica praescriptam <sup>c)</sup>, semel saltem durante regimiae candidatum iuxta statuta Capituli qualificatum cum effectu <sup>d)</sup> praesentandi ad beneficium ecclesiasticum vel actu vacans, vel proxime vacaturum, res est omnibus in imperio rerum publicarum cultoribus notissima.

§. 2.

Licet autem vastissimum hoc et fere immensum de iure primarum precum Caesaris argumentum ex principiis tum communibus tum propriis iuris publici praesertim ecclesiastici germanici plures ex catholicis eque ac protestanticis scriptoribus data opera et magno eruditionis apparatu excusserint, ut scripta hinc inde ad excussionem huius argumenti in lucem edita multorum voluminum bibliothecam conficiant, supersunt tamen adhuc nonnullae, quas vel silentio plane praeterirent, vel incidenter aut leviter saltem attingunt,

<sup>c)</sup> Conf. instrum. P. o. art. 5. §. 18 — 26. Iites super sensu vocis: exercuit, in cit. §. 26. exortas, vt et totam catholicos inter, ac protestantes de primis caesareis precibus contentione ex actis enarrat IOAN. ANDR. BRAND in Diss. hist. publ. Can. de iure Caesareo primariarum precum, C. 3. Wirsbech. 1749.

<sup>d)</sup> inde est, quod, licet ius precibus quae situm per renunciacionem, aut mortem precistae ante imperiatum beneficium extinguatur, Caesari tamen facultas maneat, nouum precistam nominandi, quamdiu nondum functus est iure suo cum effectu; sicut enim in casu, vbi eg. electus decedit, aut electionem admittere recusat, aliuni eius loco eligendi ius penes ipsos eligentes manet, ita et ius alium nominandi precistam, primo mortem appetente, vel preces recusante, saluum sit Caesari, iure suo nondum cum effectu functo, est necesse. Vid. HEDDERICH in Elem. iur. Can. cit. l. §. 35. n. 7. BRAND in cit. Diss. C. 7. §. 3. ENGEL in coll. VIII. iur. Canon. I. 3. T. 5. §. 7. n. 2. p. 551.

—

gunt, quaestiones particulares ob utilitatem suam pragmati-  
cam non minus, ac materiae suavitatem et iucunditatem  
hodiernum literati, et qui vix in rebus ad statum imperii  
vel ecclesiae publicum pertinentibus satiari potest, erudit  
orbis palatum summopere allicentes, simulque pro digni-  
tate sua longe yberiorem, quam quae intra nimis arctos pro-  
grammatis huius cancellios contineri queat, elucubrationem  
exspectantes. Inter has vna ex praecipuis et maximi  
momenti est: *Num precista imperialis, si de coetero Canonicis  
instructus sit qualitatibus, vi precum imperialium, fundatam  
habeat intentionem ut in ecclesiis, ubi introducta sunt capitula  
clausa, mox ad primum beneficium apertum cum annexis iuri-  
bus, quibus canonici capitulares fruuntur, prae reliquis cano-  
nicis domicellaribus et tempore et ordine prioribus admitti  
debeat e?*

### §. 3.

Videntur quidem hoc in casu pro iure precistae impe-  
rialis in medium proferri posse plura argumenta, primo  
obtutu haud spernenda, et quidem:

a) Imum argumentum suppediat ipse tenor diplomatis  
precum imperialium collatiui, cui ab antiquis retro temporibus  
inserta leguntur verba: *De eo (precista) prouideatis,  
ponendo eum in pacifica et quieta possessione, stallum in choro,  
et locum in capitulo ei assignando cum plenitudine iuris cano-  
nici*

A 3

nici

- e) Expluribus, quos occasione praesentis thematis euolui, scripto-  
ribus catholicis propositam quaestionem, ast nonnisi incidenter,  
ex veris tamen ac genuinis principiis tetigerunt IOAN. ANDR.  
BRAND in eis. *Diss. de iure caesareo primariarum precum.* C. 5. §. 10.  
FRANC. ANTON. DÜRR in Disquis. inaug. Can. de Capitulis  
elausis ecclesiarum tam cathedralium quam collegiatarum in germania.  
§. 29. Moguntiae 1763.

*nici et fructuum perceptione qualibet contradictione cessante f)*  
 precista itaque vi diplomatis indubitatam habet intentionem,  
 vt mox in pacifica et quieta possessione praebendae vacantis  
 ponendus, stallus quoque in choro, et locus in capitulo ei  
 assignandus sit cum plenitudine iuris canonici et fructuum  
 perceptione, et vt nulla aduersus eum audiatur contradic<sup>tio</sup>.  
 Ius itaque precibus indefinite quaesitum est precistae ad pri-  
 mum beneficium vacans cum adnexo loco in capitulo, et  
 stallo in choro. Nullatenus igitur ei obstat exceptio capituli  
 clausi, quin debitibus instructus requisitis mox capitulum acce-  
 dere, his autem nondum instructus optare saltem possit  
 primam praebendam vacantem, ab ipso tamen capitulo tam-  
 diu maneat exclusus, donec sibi de debitibus prouiderit requi-  
 sitis, quibus autem comparatis et ad ipsum quoque capitulu-  
 lum absque morae vterioris dispendio, et qualibet contra-  
 dictione cessante admitti debeat.

b) Ius primarum precum imperialium inter praecipua  
 caesaris augustissimi reseruata spectat, qui autem statutis  
 ecclesiarum, nisi expresse ab ipso sint confirmata, neutri-  
 quam tenetur, id quod inter alia confirmare videtur ipsa  
 adeo praxis et obseruantia imperii, dum varia in fauorem  
 precum imperialium allegari possunt praeiudicia, inter quae  
 notatu dignum hoc loco est conclusum consilii imperialis  
 aulici datum in causa precistae caes. ROTHI contra capitu-  
 lum Vechtense g).

c) Ne-

f) Occurrunt illa verba in noissimis etiam diplomaticis. Videat-  
 tur in specie diploma precum ab Imperatore LEOPOLDO II.  
 datum ad Ecclesiam collegiatam N. Diaecesis coloniensis die 27.  
 Febr. 1791. apud HEDDERICH in Elem. iuris Canonici P. 4.  
 n. 20. pag. 268 seq.

g) exhibet illud GEORG. HENR. AYRER in Diss. *de iure primaria-  
 rum precum* in append. n. 48. cuius verba sunt: *bevorab da die —  
 angezogene, aber von Kaiserl. Majestät nicht confirmirte vermeintliche  
 Sta-*

c) Neque consuetudo, neque statutum ecclesiae particulae unquam introduci, aut cum effectu allegari potest in diminutionem iuris, quod Caesari ab antiquissimis retro temporibus reseruatum est, et ex cuius gratia nunc precasta iure quæsito vtitur, cum in præiudicium tertii ius quæsitus habentis aliquid statuere vetent primæ et communissimæ iuris regulæ.

d) Denique hanc sententiam quoque tuentur Icti magni nominis, et in iure praesertim publico versatissimi<sup>h)</sup>, quorum auctoritati absque grauiissimis rationibus refragari esset de se praesumptionis nimiae indicium.

#### §. 4.

Ast omnibus his pro tuenda affirmativa in medium adductis argumentis, vtut primo obtutu speciosa satis apparet, haud obstantibus præferenda omnino est sententia contraria, pro qua multo validiora et solidiora pugnant ecclesiarum germanicarum fundamenta; nam

i) pre-

*Statuta und Gewohnheiten — das allerböchste reseruatum caesareum maiestaticum primariarum precum — weder schwächen, noch weniger in einigen seinen effectibus über den Haufen werfen können; auch die Natur und Eigenschaft dieses allerböchsten kaiserlichen Vorrechts mit sich bringt, daß selbiges indistincte in quoconque mense seinen effectum plenarium, quoad dignitatem, personatum, administrationem et officium, auch besonders quoad fructum perceptionem (wenn die optirte præbende, wie hier, fructifera ist) nulla contradictione obstante bey allen Stiftern jederzeit vollkommen haben müßte, und durch das Senium eines oder des andren Canonici, oder durch andere solche unerbgebende Einwendungen nicht entkräftet werden möge etc.*

h) PFESSINGER in vitriario illust. T. 3. p. 98. TITIUS Specim. iur. publ. L. 3. C. 6. §. 81. AYRER in cit. Diss. de iure primariorum precum p. 188.

1) precista imperialis aequae ac alius quisque Canonicus de novo receptus indubie agnoscere et obseruare tenetur omnia alia statuta capitularia, quae v. g. circa aetatem, ordines sacros, residentiam, studium biennale, mores, natales, nobilitatem canoniconum etc.<sup>i)</sup>, sunt condita; nulla autem sufficiens ratio assignari potest, quae precistam omnibus aliis statutis capitularibus subiectum eximat praeceps ab obseruantia illius instituti, quo qualitas capituli clausi definita, et certus inter domicellares capitulum accedendi ordo est introductus; supponitur enim institutum hocce neutriquam ex odio in precistam actu forte praesentatum concepto, aut animo ei nocendi emanasse, sed potius ita comparatum esse, vt adhibitis debitis requisitis<sup>k)</sup> et tempore, vbi de nullo adhuc praeceps imperiali cogitaturn est, ob solam causam manifestae necessitatis ecclesiae per vnamimia vel maiora saltem capitularium vota constitutum, et a legitimo superiore ecclesiastico, qui secundum dispositionem iuris Canonici communis nullus est alius, quam Papa vel Episcopus diaeceseos<sup>l)</sup>, praevia cause cognitione fuerit confirmatum.

2) prouisi a sede apostolica, vel sedis huius indultario<sup>m)</sup> tenentur, aliorum beneficiandorum adinstar, sese in omnibus

i) Etiam quoad annos carentiae vi statutorum Ecclesiae introductos, quod argumentum pro more suo, id est: egregie illustravit FRANC. ANTON. DÜRR in *Diss. de Annis Carentiae Canoniconrum Ecclesiarum cathedralium et collegiatarum in germania*, §. 20, pag. 86. seq. Moguntiae 1772.

k) quid ad validitatem statutorum capitularium in genere, et quid in specie ad capitulum clausum legitimate constituentum requireatur, exponit DÜRR in cit. *Diss. de annis Carentiae*. §. 18. p. 80. — et in disquisit. supra iam cit. de capitulo clavis. §. 27. lit. a) p. 122.

l) Conf. C. 8. et 9. x de constit. C. 9. x de consuetud.

m) De iuribus indultarii sedis apostolicae nouissime egit IOAN. PHILIP. GREGEL in program. De iure beneficia reservata vi in-

bus accommodare moribus et statutis ecclesiarum legitime  
introdutctis, ita, vt in ecclesiis, vbi domicellares sunt aut  
capitula clausa vigent, postremi inter domicellares habeantur,  
et iis, qui antiquorem vel ab Episcopo vel alio legitimo  
collatore exspectatiuam habent, indistincte postponantur;  
plus autem iuris precista imperialis in regula sibi spectata  
legum analogia arrogare haud potest, quam prouisus aposto-  
licus; cum enim preces imperiales in effectu nihil sint aliud,  
quam mandata de prouidendo Caesarea, haec autem origi-  
netenus vnice ex imitatione precium papalium <sup>n)</sup> seu manda-  
torum de prouidendo pontificorum sint enata, consequens  
omnino est, nec plures, nec maiores praerogatiuas, secun-  
dum morem cogitandi et inferendi ordinarium, posse pree-  
tendere precistam imperiale, s. mandato de prouidendo  
cae-

indulti conferendi. Wirceburgi 1791. de coetero constat, literas  
prouisionis apostolicae expediri quoque in forma amplissima, et  
cum iisdem fere clausulis, quibus literae precum imperialium  
sunt munitae, et tamē illas haud aliter admitti, quam secundum  
statuta et obseruantias ecclesiarum, nullumque a sede apostolica  
vel eius indultario prouisum sese liberare posse ab ordine et pree-  
rogatiua senii inter domicellares per obseruantiam vel statu-  
tum introducta.

- n) Conf. Thomassin. de vet. et nou. eccles. discipl. P. 2. l. 1. C. 54.  
§. 1. ESPEN in Iur. Eccles. viiiii. P. 2. T. 25. C. 9. §. 20.  
BOEHMER in iur. eccles. protest. L. 3. T. 5. § 99. seq. KEU-  
SEL, in institut. vet. ac mediae Eccles. politiae, L. 2. C. 9. §. 347.  
BRAND in cit. Diss. de iure caesareo primariarum precum, C. 1.  
§. 13. seq. FRANC. ANT. DÜRR in Diss. de beneficio ecclesia-  
stico autoritate episcopali legitime permutato, ad effectum pre-  
cum primariarum imperialium haud vacante. C. 2. n. 3. p. 5.  
Mog. 1773.

B



caesareo munitum, quam instructo mandato de prouidendo pontificio competunt<sup>o).</sup>

3) Ipsum pacis westphalicae instrumentum in omni precista requirit habilitatem secundum statuta praescripta, totumque reseruati huius caesarei primarum precum exercitium ad normam statutorum et obseruantiae ecclesiarum expresse adstringit<sup>p)</sup> sententia itaque contrarium adstruens contra ipsas adeo leges imperii fundamentales impingit.

4) Neque metuendum etiam est, augustissimos imperatores simile quidpiam contra mores et statuta ecclesiarum esse vel praetensuros vñquam, vel praeteusum a precista probaturos, cum ipsi tanquam supremi et nati particularium etiam ecclesiarum germanicarum aduocati vi capitulatum<sup>q)</sup> omnia iura, statuta, et laudabiles consuetudines ecclesiarum interemeratas seruare, et contra illegitimos quorumcunque impetus defendere teneantur; vt igitur et in specie capitulorum clausorum statuta ex eodem fundamento sarta

<sup>o)</sup> Hoc argumentum in simili casu prosecutus est DÜRR in cit. ultimo loco Diss. C.2. n. 3 p.7. seq. coeterum sicut nulla regula est sine exceptione, sic etiam hic accidere potest, vt in una vel altera ecclesia, in qua viget capitulum clausum, per modum exceptionis a regula, vi consuetudinis et specialis obseruantiae, precista caesareus gaudet singulari et maiore pree aliis beneficiatis praerogativa, cuius rei exemplum attulit DÜRR in Disquis. cit. de capitulis clausis. §. 29. p. 134.

<sup>p)</sup> Art. 5. §. 18—26. HENDERICH in Elem. iur. Can. P. 3. T. 5. §. 33. n. 5.

<sup>q)</sup> Conf. capit. caesar. nou. art. 14. §. 1. vbi caesar augustissimus capitulis ecclesiarum germanicarum iurat protectionem statutorum.

saria tecta conseruare obligentur, idque muneri eorum prae-  
primis congruat, prona inde consequentia deducitur.

5) Accedit, ipsis quoque regulis iusti aperte refragari  
sententiam eorum, qui contrarium tuendum sibi praesu-  
munt, dum clarissima domicellarium tempore priorum, et  
actu iam ecclesiis adscriptorum iura interuerterentur, si  
precista, misso ordine inter domicellares recepto, et hacte-  
nus servato, mox per saltum omnes illos transilire, et ad  
locum capitularem sese protrudere vellet, vbi tamen nec ex  
fundatione beneficiorum, nec ex consuetudine ius eiusmodi  
exoticum ipsi competit.

6) Denique sententiam hanc confirmat inconcussa Ca-  
pitulorum et Ecclesiarum germanicarum obseruantia <sup>1)</sup>.

§. 5.

Haud difficilis quoque est responsio ad argumenta §. 3.  
in contrarium adducta; et quidem

ad a) verba diplomatum caesareorum <sup>2)</sup> ad terminos ha-  
biles reducenda, et intelligenda sunt saluis exceptionibus in

B 2

iure

r) Vix enim ullum allegari poterit exemplum de precista impe-  
riali ad capitulum clausum mox admisso, sed tales precistae in  
ordine domicellarium sunt vitimi, nec per saltum promouentur  
ad capitulum, sed si seniores, et priores tempore domicellares  
capitulum accesserint, et ordo nunc ipsos tangat, ad capitulum  
deum admittuntur, prout de continua huius rei praxi variis in  
ecclesiis testatur cit. DÜRR de capitulis clausis p. 132.

s) Adhaec verba simul notat BRAND in cit. Diss. C. 5. §. 10. ea ex  
odiosa indultorum pontificiorum amplitudine esse desumpta,  
nec

iure, et in ipsis adeo legibus imperii, harumque analogia non minus, ac continua Ecclesiarum praxi fundatis; ex iis-  
dene enim diplomatibus et horum tenore liquido etiam con-  
stat, ius precum primariarum imperatori ex antiqua consue-  
tudine competere, imo, vt supra iam in ingressu huius  
programmatis animadversum est, alius fundamentum huius  
reseruati praeter inueteratam consuetudinem, ne ab ipsis  
quidem augustissimis concedentibus, in diplomate precum  
allegari; constat autem ea, quae ex obseruantia, aut inue-  
terata consuetudine vnicē deducuntur, iura Caesaris reser-  
uata ultra consuetudinis aut obseruantiae limites extendi  
nullatenus posse, vapulat igitur argumentum, pro iure pre-  
cistae imperialis ad primam praebendam capitularem vacan-  
tem in capitulo clauso, petitum ex verbis diplomaticis caesa-  
rei, quo magis consuetudo vel obseruantia ecclesiarum ger-  
manicarum vniuersalis ignoratur, vi cuius beneficiati a Cae-  
sare praesentati per saltum ad capitulum admitti, et sic  
omnibus aliis conbeneficiatis senioribus et tempore anterio-  
ribus praefterri debeant, et si forte etiam in una vel altera  
Ecclesia particulari sit consuetudo, vi cuius precistae, non  
attenta inter domicellares senii praerogativa, ad locum capi-  
tularem hactenus per saltum admissi sint, id tamen aliis  
Ecclesiis nihil potest inferre praetudicij, cum una Ecclesia  
iuri suo renuntiare queat, quin ad similem renunciationem  
aliae obligentur, et nonne, si tamen tenoris, aut formulae  
diplomatū caesareorum ratio aliqua haberī velit, haec ex-  
presse ad beneficia tam *cum*, quam *sine curā*, tam *saecularia*,  
quam *regularia* ius primariarum precum expresse, extendit?  
quem

nec simile quid in diplomatibus RUDOLPHI I. CAROLI IV.  
WENCESLAI, et SIGISMUNDI, nec in Decreto Concilii Ba-  
silensis de a. 1437. ratione primariarum precum SIGISMUNDΟ  
transmisso referri.

quem autem latet, beneficia curata non minus ac regularia  
vi praxeos, et vniuersalis fere per germaniam consuetudi-  
nis contra expressum diplomatis tenorem a iure primarum  
caesaris precum esse excepta <sup>t)</sup>, non enim cancellariae impe-  
rialis aulicae officiales in expeditione diplomatum et litera-  
rum caesarearum a formulis antiquis et semel receptis facile  
recedunt, vt proinde asseri indistincte non possit, contra-  
rium eius, quod diplomata caesaris continent, hanc assu-  
mendum esse. Enim vero, quis ignorat, in literis sic  
dictis panicalibus vel vitalitii <sup>v)</sup> caesareis similes formulas  
occurgere plus iusto extensas, et quibus vsque adeo  
asseritur, augustissimo integrum esse, cuilibet fundationi  
ecclesiasticae in S. R. I. laicum quandam eo fine praesentare,

B 3

vt

t) Conf. SCHMIDT in institut. iur. eccles. germ. P. 2. C. 2. S. 1.  
§. 259. not. \* et \*\*\*. HEDDERICH in Elem. iur. Can. P. 3. T. 5.  
§. 34. n. 7. BRAND in cit. saepe Diss. de iure Caesareo prim.  
prec. C. 5. §. 4. et 6. p. 143 et 147. ibique alleg.

v) Literae hae etiam *alimoniales caesareae*, item *bypostaticae caesa-  
reae* vocantur, de hoc arguento praecipue ex nouissimis con-  
ferri merentur. *Anonymous sub Tit. das Rechte der Brodbriebe und  
der ersten Bitte ist ein Referat des Kaysers, gegründet in einem alten  
Reichsberkommen, beschaffen wie andre aus des Kaysers Machtvoll-  
kommenheit berücksichtende Vorrechte, erörtert in dem R. und in dem  
W. Frieden, anwendbar bey un- und mittelbaren Stiftern, Klößern  
und allen übrigen geisl. Stiftungen, vereinbart mit dem heutigen Ge-  
brauch, und mit den verschiedenen Meinungen eines BRAND, SCHNEID  
und SPITTLER, 1784.* CAR. BONELLI *Abhandlung von dem Kayserl.  
Rechte, Panisbriefe zu ertheilen. Wien 1784.* Iustus CHRISTIAN.  
LUD. DE SCHELLWITZ *de caesareo iure literas panicales con-  
cedendi. Ienae 1785.* plures alios, qui de imperatoris iure literas  
alimoniales dandi scriperunt, nominat idem excellent. vir  
DE SCHELLWITZ in progr. de dominorum territ. iure literas  
vitalitii concedendi ieqae mense Sept. 1784. edito §. 2. not. f.

vt ipsi alimenta ad dies vitae porrigi debeant <sup>x)</sup>? anne idcirco statuendum, augustom caesari competere ius dandi literas pauciales indefinitum? numne fundationes ecclesiasticae s. mediatiae s. immediatae in imperio propterea simpliciter et indistincte obligatae sunt, vt praesentatum a caesare (praebendistam laicalem vocant) nulla habita ratione consuetudinis aut obseruantiae contrariae admittere, eique de victu et amictu necessario vi eiusmodi literarum caesarearum prouidere teneantur? in regula quidem tabalarum caesarearum tenori, quia pro illis praesumtio veritatis militat, standum est; at, quoties de uno vel alio capite tenoris, vii hactenus de praesenti capite satis superque factum est, contrarium ostendi potest, omnia alia statuenda sunt.

ad b) Neque Capitulatio, qua iurum et statutorum capitularium in ecclesiis germanicis protectorem se futurum aduersus quoscumque turbatores et inuasores spopondit caesar, nec sanctio Pacis westphalicae supra allegata, qua ad obseruantiam statutorum et Canonum in exercitio obligatur augustissimis concedens, inter statuta a Caesare expresse confirmata, et ea, quae non expresse sunt confirmata, distinguunt; eiusmodi itaque distinctio, lege ipsa non distingueente, gratis adstruitur. Accedit, statuta, de quibus hic sermo est, talia esse, quorum cognitio et confirmatio neutrquam

<sup>x)</sup> Haec verba occurrunt in literis panis caesareis die 17 Jul. 1782, expeditis, quas cit. BONELLI in appendice sub n. 17. exhibuit, coeterum et huius reservati caesarei, literas panis concedendi, vncum fundamentum esse obseruantiam, probant verba capituli, caesar, art. 1. §. 9. vbi promisit caesar, alimoniales se literas ad ecclesias et monasteria germaniae non directurum esse, nisi quantum in quieta iuris huius possessione vel quasi sit constitutus.

tiquam ad Caesarem, sed vi principiorum iuris Canonici <sup>y)</sup>  
 vnicet priuatiue ad superiorem ecclesiasticum spectet; quis  
 igitur inficias adhuc ibit, vanum et inanem esse non factae  
 ab imperatore confirmationis statutorum capitularium praetextum? Neque etiam ex senatus imperialis aulici conclusis,  
 inter quae autem illud, quod ex AYRERI diss. supra §. 3.  
 not. <sup>z)</sup> allatum est, de alio plane casu loquitur, obseruantia  
 vniuersalis deduci potest, nam 1<sup>mo</sup> constat, principia  
 consilii imperialis aulici in diiudicandis causis primariarum  
 precium eo inclinare, vt pro extensione reseruati huius cae-  
 sarei, et plerumque in fauorem precistarum ferantur senten-  
 tiae <sup>z)</sup>; 2<sup>do</sup> conclusa eiusmodi, si in rem iudicatam trans-  
 sierunt, aduersariis hand maiorem utilitatem praestant,  
 quam ii, qui in alia quacunque particulari obseruantia pro-  
 banda versantur, ab aliorum iudiciorum sententiis vires rei  
 iudicatae adeptis expectare queunt, quippe quae ius tantum

inter

y) Supra iam dictum est, quod ad capitulum clausum legitime con-  
 stitendum vigore c. 8. et 9. x) de constit. et c. 9. x) de consuetud.  
 confirmationis episcopalis vel pontificia requiratur. Sic quoque iu-  
 ris cuiuscunq; analogia secum fert, confirmationem esse  
 actum iurisdictionis, quem solummodo exercet ille, cuius cogni-  
 tioni et iudicio subest illud negotium, super quo petitur con-  
 firmatio; ita magistratus civiles confirmant negotia ciuilia, actus  
 feudales confirmant iudices feudales etc. consequenter et ad iudices  
 ecclasticos spectat, confirmare negotia ecclesiastica, inter quae  
 autem indubie statuta de introducendo Capitulo clauso sunt re-  
 ferenda.

z) Imo licet regula sit, senatu imperiali aulico potestatem compe-  
 tere, in causis iura reseruata caesarea concernentibus sententiam  
 ferendi, notat tamen excell. de SCHELLWITZ cit. l. §. 7. regulam  
 hanc ad casum, ubi de eo: anne reseruata illa plus iusto  
 extendantur? non sine grauissimis rationibus controvexitur,  
 haud esse proferendam.

inter litigantes faciunt<sup>a)</sup> neque enim uno vel altero Capitulo ob causam particularem plus iusto concedente, et iuriis suis renunciante, hoc in consequentiam mox trahi, et in praeiudicium aliarum ecclesiarum, ne et hae iure suo vtan-  
tur, allegari potest<sup>b)</sup>.

ad c.) Multo minus, stante hac sententia, ius quae-  
sum vel Caesaris, vel precistae imperialis vlo modo laedi-  
tur; quae quidem exceptio tunc forte locum inueniret, si,  
antequam clauderetur capitulum, precista actu praesentatus,  
sed nullo adhuc beneficio ob defectum aperturae prouisus  
adisset; hoc enim in Casu, cum ius indubie quaesumum esset  
precistae ob preces iam intimatas, dubio caret, quod in  
eius praeiudicium claudi hatid posset capitulum, nisi libere  
consentiret; secus autem est in nostro casu, vbi sermo est  
de capitulo ante praesentationem precistae imperialis ob  
manifestam ecclesiae necessitatem clauso, et sic de tali statuto,  
vi cuius onus futurum indistincte omnibus imponitur ad Ec-  
clesiam admittendis, et cuī se precista imperialis deinceps  
praesentandus subtrahere eo minus valet, quo certius  
onus hoc commune omnibus pro bono ecclesiae impositum,  
ab omnibus quoque neocanonicis supportandum; et si pre-  
cista imperialis, aliorum neocanonicorum adinstar frui velit  
omnibus ecclesiae Emolumentis, communia quoque vt ferat  
onera, est necesse.

ad

a) L. 63. ff. de re iud. et L. 2. C. quib. res iud. non noc. IOH. BAL-  
THAS. WERNHER P. 7. obs. 7. n. 14. et obs. 176. in resp. ibid.

b) Non dubitandum etiam est, quin conclusis et rescriptis consilii  
imperialis aul. in ciusmodi causis exaratis exceptio sub et obrep-  
tionis opponi, nec non aliarum quoque germanicarum ecclesia-  
rum assistentiis ob commune earum interesse implorari, et ita  
cause communis fieri, imo pro circumstantiis ob grauamen ec-  
clesiarum commune recursus ad comitii institui possit. Durr.  
in cit. Diss. de annis Carentiae §. 20. in f. p. 92.

ad d.) Denique argumento ab auctoritate Doctorum desumpto coeteris paribus vim suam relinquo <sup>c)</sup>, neque enim laudibus virorum, qui tanti sunt nominis, et in nostro iure publico immortalis memoriae, vllatenus detrahere prae-sumo, id solum moneo, et indubitatum puto, plus roboris in substrato casu soli eorundem auctoritati et testimonio haudquaque inesse, quam rationes hactenus deductae pro affirmante decisione quaestione propositae eminunt.

Sed conproto me nunc ad indicenda solemnia inaugura-lia nobilissimi et clarissimi honorum Doctoralium Can-didati

Dni. IOANNIS HENRICI GODOFREDI KAVPISCH  
QVERFVRTENSIS,

qui, quae ad natuitatem eius, ac res suas feliciter hactenus ac laudatissime peractas spectant, ipse sequentibus verbis aperuit:

Ego, IOANNES HENRICVS GODOFREDVS KAVPISCH,  
natus sum Querfurthi, anno huini seculi septuagesimo secundo d.  
XXIX, mensis Maii, parentibus honestissimis, patre IOANNE LEON-

HAR-

- c) Evidem auctoritati, et priuatiss opinionibus Doctorum, modo iuri aperto non refragetur, eam saltē in regula inesse vim, vt sententiae cuidam adferant speciem veritatis, eamque, coeteris paribus, ad minimum probabilem reddant; imo standum etiam omnino esse opinionibus Doctorum, et instar legum accipiendas, vbi nempe communes illae sunt, et validis nituntur rationibus, haud ignoro; ast tamen et de coetero non minus ex iure notum est, vnius vel plurium etiam Doctorum auctoritat et opinioni priuatae, aliis non minoris famae doctoribus in contraria sententiam cunibus, haud tribuendum esse plus ponde-ris, quam rationes ab iisdem allegatae probant, conf. STRYCK, in vs. mod. L. I. T. 3. §. 13.

C

HARDO CHRISTIANO KAVFISCH, Praefecturarum Electoral. Saxon.  
 Querfurthensis et Sittichenbachiensis Iustitiae Administratori per-  
 quam meritissimo, et matre IOANNA FRIEDERICA SCHOMBVRGR, qua-  
 nihil vñquam erat festiuus, amabilius nec longiore vita dignius,  
 iamiam multis abhinc annis, maximo meo cum dolore atque tristitia,  
 acerbo tristique fato mihi abrepta. Quo vtroque quidem parente,  
 nullo modo meliorem meique amantiorem nancisci me potuisse, gra-  
 tissimo animo profiteor. Teneros aetatis annos in domo paterna,  
 curae potissimum ac disciplinae Candidati cuiusdam, cui nomen erat  
 HILLIGER, traditus, exegi. Postea vero cum iam memoratus ille  
 Hilliger ad alium se contulerat finem, curae ac disciplinae M. SCHIR-  
 LITZII, praesenti munere Pastoris fungentis, cuius memoria mihi  
 adhuc sancta est et permanebit, creditus eq. vitae duce ac comite  
 per spatium aliquot annorum sum vsus. Adultior factus Rectorem  
 Lycei Querfurthensis M. RHOSTIVM virum probitatem morum, in-  
 genii elegantia, cunctoque litterarum genere monstrabilem, paecep-  
 torem sum nactus Spatio vero vnius anni, per quod mihi, eo duce,  
 me mirum in modum in literis altioribus perfectiorem reddere con-  
 tigerat, praeterlapso, in flore aetatis, summa consecuturus, si eius  
 virtutes maturassent, repentina immaturaque morte extinctus est.  
 Post obitum mihi perquam acerbum huius egregii ac venerabilis viri,  
 qui adhuc in memoria mea viuit viuetque semper, et cuius in me col-  
 lata beneficia nunquam non, dum vita suppetet, animo meo erunt  
 infixa, paeceptore, Rectore TAGK, viro quoque paestantissimo,  
 sincerissimo atque doctissimo, qui bona mansuraeque famae pae-  
 sumtione perfruit, certusque posteritatis cum futura gloria viuit,  
 per quinquennium vsus sum. Cui, quantum debeam, ipse sentio,  
 cum me per omne illud tempus non modo liberalissime tractarit,  
 omnique humanitate ac benevolentia prosecutus sit, sed bonis etiam  
 artibus ac litteris summa cum fide et diligentia eruditur. Ita in-  
 structus et paeparatus anno MDCCXCI. a BECKIO, tunc temporis  
 Rectore Academiae Lipsiensis Magnifico, numero ciuium academico-  
 rum

rum Lipsiensium sum adscriptus. Iam philosophiae imprimis, vt par est, operam dare coepi, ideoque scholis HEIDENREICHII atque SEIDLIZII primo anno interfui; in historia vero WIELANDVM atque HILLSCHERVM elegi. Quoniam autem mihi potissimum erat animus, me iuris studio consecrandi, Iurisconsultorum celeberrimorum scholas adii, atque SAMMETVM, SCHOTTVM, FLECKIVM, BIENERVM, EINERTVM, ZIZMANNVM, ac, qui mihi ius Saxonum tradidit STOCKMANNVM audiui. Studiis academicis rite absolutis, sub praesidio RAVII, Supr. Curiae Prou. et Fac. iurid. Lips. Adsess, Pandect. Prof. Publ. Ord. et Eccles. Cathedral. Numburgens. Canonico, d. XI. Aug. anno huius seculi XCIV. disputationem publicam habui, paulo post a Comite Palatino illustr. ERHARDO Notariis Publ. Caesar. sum creatus, moxque examen quod pro praxi vocant subii, eoque feliciter superato, me Querfurthum in aedes constuli paternas. Speciminibus dein pro Aduocatura consuetis ac necessariis initio praeteriti anni a me rite editis et elaboratis, nec non a Supremo Regimine Dresdensi approbatatis, iam summos in iure honoris petere non dubitau.

literis ordini nostro transmissis ad consueta admitti specimina modeste petiit, cui laudabili petito annuere nulli dubitauimus. Quare cum in examine rigoroso non solum textus ex vtroque iure ad resoluendum praescriptos scite enodauerit, sed et ad quaestiones ipsi propositas insigni cum promptitudine, ac eruditione responderit, sicque acquisitionem legum scientiam ordini nostro abvnde probauerit, admissionem ei ad reliqua specimina e cathedra publica edenda vnanimi calculo decreuimus. Nunc in eo est, vt et his specimen-

ciminiibus praestitis aditum sibi ad supremos in utroque iure  
honores patefaciat quem in finem proxima die XIII. mensis

Iulii in lectione Cursoria L. 3. ff. de Constit. Princip.  
interpretabitur, eaque finita Dissertationem suam:

*De iuribus circa dotalium viduae praeprimis nobili Saxo-  
nicae competentibus,*

publice tuebitur, quibus actibus solennibus ut academie  
proceres et cives haud grauatim interesse velint, officiose  
oro, rogoque public. sub Sigillo Facultatis iuridicae d. X.  
Iulii MDCCXCVI.



Erfurt, Diss., 1783-1801 I

X 238 6945





1796, 1

FACULTATIS IVRIDICAE  
DECANVS

FRANC. MAVRITIUS BACHMANN

JCTVS

EMINENTISS. AC CELSISS. PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CON-  
SILIARIUS REGIMINIS ACTVALIS, MEMORATAE FACULTATIS ADSES-  
SOR, ET IVRIS PVBLICI TVM ECCLESIASTICI TVM  
POLITICI PROFESSOR PVBL. ORDIN.

## SOLEMNIA INAVGVRALIA

NOBILISSIMI AC CLARISSIMI IVRIVM  
CANDIDATI

D. IOAN. HENRICI GODOFREDI KAVPISCH  
QVERFVRTENSIS

DIE XIII. IVLII MDCCXCVI.  
LOCO CONSVENTO  
PERAGENDA INDICIT.

---

PRAEMISSA DISQVISITIONE:

NVM IVS PRIMIS PRECIBVS CAESAREIS QVAESITVM SIT  
PRECISTAE AD PRIMVM BENEFICIVM VACANS PRAE CANONICIS  
DOMICELLARIBVS ORDINE PRIORIBVS IN ECCLESIA,  
CVIVS CAPITVLUM EST CLAVSV?

---

ERFORDIAE,

TYP. IO. CHRIST. GOERLING, ACAD. TYPOGR.